

mentales doctrinae sunt, (1) *Mundum esse necessarium* (2) *proindeque a se esse, nec indigere causa, cujus infinita potentia existat*, (3) *motum denique rerum fieri secundum regulas necessarias*. In primis autem agitatissima est quaestio: *an dentur athei, i. e. an detur quisquam mortalium ratione pollens, qui ipsam Dei existentiam directe neget, ita quidem ut ex interiori animi sententia securus acquiescat in falsissima hac falsitate: non existit Deus, tanquam in theoremate, de cuius veritate ob ejus evidentiam certo se persuasum esse putet, qualis vocari solet speculativus atheus? & Resp. negando, talem atheum naturaliter dari posse, propter allegatas in praecedente capite rationes, ex quibus thesis illa invictis astruitur argumentis, inter quae nonnulla vel leviter cogitanti obveniunt. Quinimo nego Pyrrhoneos tales naturaliter inveniri, qui semper de Deo dubitent, quia mox rationes invenient, quibus se a dubio suo possint liberare.*

§. 2. Sed suppono in hac controversia

I. *Hominem sanae & excoltae mentis, quique in veritatibus dijudicandis ratione sua uti novit. Et sic excludo mente captos ac infantes, quinimo tales, qui non nisi externam hominis speciem gerunt, quique ex immersione rationis in terrena quasi obbrutuerunt, qualis brutalismus occupavit multas extremas mundi partes, ubi degunt homines vix ultra brutum sapientes.*

II. *Hominem directe Dei existentiam negantem, & sic a thesi excipiuntur, quorum impietas se eo*

B 2

exten-